



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Quarta die Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

in ius Caroli cederet, quem postea dixerunt Cal-  
tium. Hinc recedentibus ministris, ob defectum  
necessarium, & ob infirmum in Hamburgō  
contra barbaros præsidium, vacanti Bremensi ec-  
clesiæ, Ludouicns rex sanctum Anscharium, se-  
cundum Canones præfecit. Ægrè tamen eo ad-  
duci potuit, nè sui gregis desertor, & alieni ha-  
beretur inuasor. Sed paulo post, regis solicitatio-  
ne, Nicolaus pontifex Bremensem episcopatum  
Hamburgensi metropoli copulauit, ex duabus ec-  
clesijs attenuatis vnam efficiens, ut titulus perma-  
neret Hamburgensis, & interiret Bremensis. V-  
troque autem in loco sancti Anscharij natalis  
summa veneratione percolitur, aut (quod prop-  
ter fidei oppressionem nunc dicere cogimur) coli-  
solet. Helmoldus presbyter, in Chronicis Slauo-  
rum, noscit magistrum Adam gesta Hamburgen-  
sis Ecclesiæ Pontificum disertissimo stylo con-  
scripsisse.

Cap. 14.

Eodem die Cameracensis ecclesia officium canit de  
Vualdetrude continente. Sed primarium eius festum est  
die Aprilis.

### Quarta die Februarij.

#### 1º De S. Lietphardo episcopo & mart.

Ex historia manu-scripta, unde lectiones sumuntur in  
vsi Cameracensi, & informatione Cameracensium.

**I**N Hunonis curia, natalis sancti LIETPHARDI  
Anglorum archiepiscopi, & martyris. Fuit  
hic Canturbiæ in Anglia episcopus, germanus  
beati Onastantij Londriarum præsulis, qui tem-  
pore Dagoberti regis, cum Carduele rege, ob san-  
cti Petri beneficia, elegit Romam adire. Vnde,  
exsoluto

exsoluto peregrinationis suæ voto, rediens, in aridæ Gamantiaæ nemore est trucidatus, & à ruricolis Trescalti sepultus: sed accendentibus miraculis, digniori loco collocatus. Cùm autem apud turicolas memoria eius negligeretur, Fulbertus episcopus Cameracensis, sacra pignora ad suam ciuitatem transferre statuit, sed non potuit. Diuina enim reuelatio habebat, eum transferendum esse ad ecclesiam beati Petri, quæ est in Honnecourt. Vbi Deo seruiebant sanctimoniales ad nuptias Agni vocatae, & eis subordinati Canonici, qui exsequebantur, quod fœmineo sexui ecclesiasticus ordo non permittit. Postmodum tamen illis sponte cedentibus, usque in hodiernum diem est congregatio Benedictinorum. Qui corpora sancti Lietphardi & sororum eius Valeriae, & Pollenæ, ad urbem sancti Quintini transtulerunt, ut essent à bellorum incommodis securiora, vbi tamen in expugnatione vrbis perierunt.

## 2º De S. Vulgiso, epis. & abbatte Lobiësi.

*Ex monumentis Lobij.*

C Oenobio Laubiensi, depositio S. VVLGISI, episcopi & abbatis Vtrumque enim titulum habuit cum beato Ermino, cuius fuit in utrâque dignitate cooperator. Natalis eius est duplex maius Lobijs, & Binchij: nam Binchij in octo capsis quiescunt octo sancti Lobientes. Vitam per Nordmannos nobis intercidisse arbitror,

D

Quinta